



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 18. Quid sit propria passio sine proprietas. Quid item passio
communis. Quotuplex, & qualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

QVÆSTIO XVIII.

Quid sit propria passio, siue proprietas. Quid item passio communis. Quotplex. Et qualis.

³⁰² **E**gimus in quinque questionibus præcedentibus de prædicabilibus essentialibus. Restat ut in hac, & sequente agamus de accidentalibus.

³⁰³ Dicimus autem prædicabile accidentale (sumpto latè hoc vocabulo) id, quod aliquid subiecto adicitur seu physicè, seu metaphysicè. Quid enim alicui conceptui adicitur, id iure optimo accidens eius, hoc nomine latè accepto, appellatur. Accidens autem ita sumptum imprimis aliud inseparabile est, aliud separabile. Inseparabile dicitur, quod subiecto convenit necessariò; eo quod subiectum cum illo connexum est, atque adeo sine illo esse non potest. Separabile autem appellatur, quod contingenter subiecto convenit; eo quod subiectum cum illo connexum non est, proindeque sine illo esse potest. Porro accidens inseparabile passionem subiecti, seu eius essentia distinctionis gratià appellamus. Separabile autem accidens absolute, strictius usurpato hoc nomine, dici solet, & debet. Deinde passio in propriam, & communem; accidentemque similiter in proprium, & commune dividitur. Passio propria, siue proprietas subiecti, seu essentia est, quæ tali subiecto, seu essentia, non item aliis convenit. Passio verò communis, quæ insuper convenit aliis. Accidens pariter subiecti proprium nuncupatur, quod illi duntaxat, non verò & aliis convenit: commune autem, quod, & aliis. Quæ quidem quatuor membra plures alias divisiones patiuntur, quas *suprà* dedimus q. 7. deincepsque iterum tangemus. In præsentem ergo questionem de accidenti inseparabili, atque adeo de passione communi; & propriâ tractandum nobis est.

³⁰⁴ Sed prænotare oportet primò; præter accidens eo titulo inseparabile, atque necessarium subiecto, quod ipsum subiectum cum illo suapte naturâ connexum est; quale est, quod appellamus passionem subiecti; aliud dari accidens inseparabile, & necessarium subiecto alio diverso titulo, nimirum titulo necessitatis, quàm accidens ipsum habet essendi, ita ut deficere non possit. Quo fit, ut subiectum sine illo non possit esse, tametsi cum, illo suâ naturâ nullatenus connexum sit. Igitur, quia genus istud inseparabilitatis prædicari, quasi casuale est subiecto, subindeque nihil confert ad scientiam; ideo accidens sic à subiecto inseparabile nequitiam sub nomen passionis, aut communis, aut propriæ cadet, uti accidens inseparabile priori modo, sed tantum sub nomine accidentis absolute dicti, quale vocamus accidens separabile. Est quippe separabile reputandum in ordine ad scientiam eo ipso, quod non ex merito subiecti, sed aliunde veluti à casu inseparabile est.

³⁰⁵ Secundò oportet prænotare; hæc duo prædicabilia potissimum sibi vindicare locum in scientiis humanis discursivis, quæ totæ in investi-gandis, & sciendis passionibus, & proprietati-

bus rerum distentæ sunt. Quocirca in illis exponendis accuratius mihi est incumbendum, quàm hactenus incubuerunt Logici, qui Porphyrium sequuti in tradendis proprio, & accidente, quæ solum ipsi ponunt prædicabilia accidentalia, minus profecto exactè, & magis confusè, quàm opereretur, processerunt. Quare in eorum assertis referendis, & refellendis non immorabor, sed, quid res habeat explicare conabor, quantum ad præsens attinet institutum. Iungo autem in eadem questione passionem communem, & proprietatem; tum quia in plerisque sunt similes; tum maxime, quia sæpe in dicendis necesse erit unam alteri comparare.

Igitur quoad primam questionis partem, bifariam possunt considerari passio communis, & proprietas. Primò secundum se. Secundò ut universales, seu prædicabiles de multis. Priori modo sumpta proprietas nihil est aliud, quàm prædicatum quoddam essentia adiectum, siue aliquid essentia adiciens, ipsique conveniens *vice*, & necessario. Dico essentia adiectum, siue aliquid essentia adiciens, quia proprietas sumpta per modum actus significati per verbum, vel per nomen verbale conceptus est essentia adiectus, ut posse ridere, seu potentia ad ridendum; seu quod idem est risibilitas, quæ essentia hominis adicitur. Sumpta verò per modum concreti, siue in concreto conceptus est aliquid essentia adiciens, ut potens ridere, seu risibile, quod essentia hominis, quam dicit confusè, ipsam potentiam ad ridendum, seu risibilitatem adicit, quam dicit expressè, ut ex doctrinâ concretorum, & abstractorum sæpe in superioribus traditâ notum est. Convenit autem proprietas essentia, cuius est proprietas, *vice*, quia aliis essentis non est communis, in quo à passione communi differt, & convenit necessario: quia essentia cum illa suâ naturâ connexa est, eoque titulo sine illa consistere nequit, in quo differt ab accidente absolute dicto, quod essentia convenit contingenter, eo quod hæc cum illo non est connexa, eoque tunc sine illo bene existere potest.

Quæ omnia de passione communi pariter dicta sunt, solâ particula *vice* ex eius definitione sublatâ. Itaque passio communis dicto priori modo accepta nihil est aliud, quàm prædicatum quoddam essentia adiectum, siue aliquid essentia adiciens, ipsique conveniens necessario non tamen *vice*; quia & aliis convenit essentis, in quo solo differt à proprietate, conveniens in cæteris cum illâ. Nomine autem essentia, cui passio, seu propria, seu communis adicitur, quævis omnino essentia venit intelligenda siue specifica, siue generica, siue metaphysico, siue per se, siue per accidens, &c. iuxta divisiones essentia traditas *disputatione nona*, *questione secunda*, omnes enim habeat suas passiones, & proprietates, ut ex dicendis apparebit.

Sumpta verò posteriori modo proprietas, sic ³⁰⁸ definienda venit. *Proprietas est prædicabilis de multis ut quid adiectum, siue adiciens aliquid eorum essentia communi vice, & necessario.* Per illam definitionis partem prædicabilis de multis convenit proprietas cum reliquis omnibus prædicabilibus universalibus. Per illam autem, ut quid adiectum, siue adiciens aliquid eorum essentia imprimis differt proprietas à prædicabilibus essentialibus, deinde significantur duo modi, quibus illa prædicabilis est, nempe per modum actus signi

significati per verbum, vel etiam per nomen abstractum, vt si dicas: *Petrus potest ridere*, vel *Petrus est risibilis*. Et per modum concreti, siue in concreto, vt si dicas: *Petrus est risibilis*. Priori enim modo prædicatum totum adicitur subiecto; posteriori aliquid tantum sui subiecto adicitur, cum & subiectum in se inuoluat, iuxta dicta nuperimè. Quod amplius paulò post explicabitur. Per particulam verò *communis* datur intelligi, proprietatem solum esse talem respectu essentiarum communis inferiorum; nam respectu essentiarum peculiarium eorum non est nisi passio communis, e. g. *risibile* proprietas est Petri, Ioannis, &c. in quantum sunt homines, at in quantum sunt Petrus, Ioannes, &c. vniuersalesque est passio communis. Similiter *loco motuum* proprietas est hominis, leonis, &c. in quantum sunt animalia. At in quantum sunt homo, leo, &c. passio communis est cuiusvis eorum. Denique per particulam *vnice* differt proprietas à passione communi, quæ non soli essentia communi eorum, de quibus vt talis est prædicabilis, sed & aliis essentis etiam communibus aliorum conuenit. Postremo per particulam *necessario* differt proprietas ab accidente, quod non necessarium, sed contingenter modo dicto prædicabile est. Difficultates autem, quæ in hanc definitionem moueri possent, in simili sunt expeditæ *supra* q. 13.

309 Iam verò passio communis vt prædicabilis eodem modo definienda, atque explicanda est: ac proprietates vnice ex definitione demptæ particulam *vnice*. Itaque *passio communis est prædicabilis de multis vt quid adiectum, siue adiciens aliquid eorum essentia communi necessario, non tamen vnice*: Quia pariter est item prædicabilis de multis aliis aliam diuersam essentiam communem habentibus; In quo differt à proprietate conspirans in reliquis cum illa. Exemplo sit *locomotuum* vt prædicabile de Petro, Ioanne, Francisco, &c. Quod itidem de hoc, & illo, & alio leone, &c. diuersam ac illi essentiam communem habentibus pariter prædicabile est.

310 Hic quærent aliqui: an passio tum propria, tum communis dicenda sit vniuersalis non solum respectu inferiorum, de quibus vt talis est prædicabilis, sed etiam respectu essentia sibi æqualis, cuius primario est passio propria, aut communis; sed quæstio est de modo loquendi, & parui momenti, quam *supra* quæstione decima-quinta, agens de differentiâ vniuersaliter resoluimus. Vide dicta ibi, & huc applica, quia de differentiâ, & passione eadem, quod ad rem attinet, ratio est.

311 Circa secundam quæstionis partem. Primò tam passio communis, quam proprietates in physicam, & metaphysicam diuidenda est. Physica dicitur, quæ realiter est distincta ab essentia, cuius proprietates est, aut passio communis. Metaphysica verò, quæ tantum per rationem nostram distinguitur ab huiusmodi essentia. Secundo diuidenda est tum passio communis, tum proprietates penes diuersitatem connexionis, quæ essentia cum illa connectitur, in annexam essentia ipsi necessitate metaphysicâ: in annexam necessitate physicâ, & in annexam necessitate morali. Essentia quippe cum proprietate, aut connexionem metaphysicâ, aut physicâ, aut morali connecti potest. Quid verò sit connexio metaphysica, & quid physica, & quid morali, necessitatibusque ex eis oriun-

Pharus Scientiarum, Tom. II.

dæ, & quomodo in prima, secunda, & tertiâ tertiâque in secunda, sed non vice versâ includantur, superius diximus *disputatione secunda, quæstione quinta, & disputatione octaua, quæstione secunda*, ex dictisque etiam *disputatione decima-quarta* constat. Terriò proprietates, & passio communis physica in intrinsecam essentia per adhesionem, & extrinsecam, siue essentia non adhaerentem, & in mixtam ex utroque siue partim tali modo intrinsecam, & partim extrinsecam potest diuidi. Similiterque metaphysica in intrinsecam per identitatem, siue adequatè identificatam cum essentia re ipsa, & semiextrinsecam, siue identificatam inadæquatè, quia partim identificatur essentia, & partim ab eâ distincta est. Quartò diuidi potest passio tum communis, tum propria in prædicabilem formaliter, & prædicabilem materialiter. Tum in substantialem, & accidentialem prædicamentaliter: in incomplexam, & complexam; in positivam, & negatiuam. Recognosce has diuisiones vniuersales datas *supra* q. 7.

Quintò denique utraque passio communis scilicet, & propria ipeccatim est diuidenda in immediate, & mediatam comparatione essentia. Immediata dicitur ea, cum quâ immediatè essentia connexa est. Mediata autem, cum quâ essentia mediatè, siue mediâ aliâ passione propria, aut communi, mediis pluribus connectitur. Esse enim essentiam quamlibet cum quibusdam suarum passionum, & proprietatum immediatè, & cum plerisque non immediatè, sed mediatè, siue mediis aliis connexam; & consequenter ab ipsâ essentia, vt à radice, siue fonte varias series proprietatum, & passionum communium ordinatim connexarum procedere; in quibus alia propinquiores essentia, & alia remotiores sunt, indubitabile omnino est. Ob id enim in scientiis humanis, cognitâ essentia, passim dubitatur de proprietatibus, aut passionibus; communibus; quia connexio essentia cum illis utpote mediata non se prodit donec discursu facto, & saepe, longissimo, alia quæ intermedia sunt innotescunt. Ob id in Mathematicis disciplinis, aliisque scientiis demonstratiuis, pleraque propositiones demonstrari non possunt nisi per alias prius demonstratas, quæ propinquiores sunt principiis, adeò vt sæpenuerò ad aliquam propositionem ex remotioribus demonstrandam, & sciendam milliana propositionum demonstratarum necessariò debeant præsciri. Demum longitudo ratiocinationum, siue discursuum, quibus ad aliquid ostendendum, siue probandum saepe indigemus, à longitudine seriei proprietatum, aut passionum communium suo ordine connexarum, in quâ illud suum locum habet, ducit originem. Etenim si A eatenus solum connectitur cum D, quatenus connectitur cum B connecto cum D, & B eatenus etiam duntaxat connectitur cum D, quatenus connectitur cum C connecto cum D, impossibile erit scire A non posse esse sine D vi connexionis quam cum eo habet, nisi præsciatur A non posse esse sine B, & B non posse esse sine C, & C non posse esse sine D. Pariterque non poterit sciri, B non posse esse sine D, nisi præsciatur B non posse esse sine C, & C non posse esse sine D, vt est notissimum. Tantundemque in cæteris huiusmodi seriebus proprietatum, aut passionum communium euenit. De quo plura dicenda *infra* disp. 22.

Modò pro tertiâ quæstionis parte consecutaria quædam ex dictis sunt colligenda scitu digna, & necessaria ad ea, quæ *disp. 22. cit. de scientia humana tractanda* sunt.

Confectarium 1.

314 Passio seu propria, seu communis tum per verbum adiectivum, tum per substantivum, semper tamen adiectivè est prædicabilis de sua essentia, siue de suo subiecto.

Hoc confectarium omni prædicabili accidentali commune est. In eoque prædicabile accidentale differt ab essentiali. Essentiale enim nec per verbum adiectivum, nec adiectivè per substantivum, sed substantivè dumtaxat est prædicabile. Quæ omnia, ut explicem, prænoto, quod alias iam non semel notavi. Nimirum solum verbum *esse* propter significat actum essendi substantivum, seu identitatem, verbum substantivum vocatur; cetera verò cuncta verba, & ipsum verbum *esse* prout actum existendi significat, dici verba adiectiva, eo quod actus significari per cetera omnia verba & per verbum *esse* sumptum pro *existere*, essentis subiectorum, quorum sunt actus adiciuntur saltem ratione nostra. Actus verò essendi substantivus, etsi sit itidem per nostram rationem distinctus à subiecto, cuius est actus; quia tamen est ex conceptu suo ipsum exercitum essendi id, quod tale subiectum est, talis subiecti essentia non censetur adiectus, sed potius quasi constituens illam. Ob idque verbum talem actum significans non adiectivum, sed substantivum, seu quasi essentialium venit dicendum; pro eodem namque usurpari solent essentia, & substantia. De quo vide pluradicta *supra disp. 9.* Hinc etiam fit, ut quoties prædicatio fit per verbum adiectivum, solus actus significatus, per verbum, non item terminus eius sit prædicatum. Quoties verò per verbum substantivum fit, & actus, & terminus eius prædicatum constituunt; e.g. in hac prædicatione *Petrus legit lectionem* solus actus legendi, non item lectio dicitur prædicari de Petro. In hac verò *Petrus est legens* non solus actus essendi legens, sed ipsum legens dicitur prædicari. De quo vide, quæ *supra* diximus *disp. 2. questione quarta, confectario primo*. Unde rursus efficitur, si prædicatio per verbum adiectivum fiat, ut *homo legit, homo potest ridere*, &c. non posse non prædicatum dici adiectivè de subiecto, atque adeo accidentale prædicabile esse, quia non potest non prædicatum subiecti essentia adiectum esse. Si verò prædicatio per verbum substantivum fiat, utrumque potest evenire; & quod prædicatum sit accidentale subiecto, utpotè adiciens aliquid eius essentia, ut, cum dicimus *homo est legens: homo est risibilis*, &c. & quod sit essentialis; utpotè, nihil subiecti essentia adiciens, sed vel ipsam integram, vel aliquam eius partem repetens, ut cum dicimus *homo est homo: homo est animal: album est album*, &c. Ex quibus confectarium propositum satis superque manet conspicuum.

Confectarium 2.

315 Quævis omnino essentia innumeras, imò infinitas passiones tum proprias, tum communes habet scibiles ab intellectu humano.

Nam tot fere habet circa omne dubium, quot sunt possibiles comparationes, quibus ea cum omnibus aliis essentis, seu terminis obiectivis possibilibus, & impossibilibus siue realiter, siue formaliter à se diversis est comparabilis omni facta combinatione. Nulla enim est huiusmodi comparatio, unde aliqua passio propria, aut communis essentia

comparata non pullulet. Constat autem comparationes, combinationesque istas infinitas esse, quandoquidem termini excogitabiles, possibiles, & impossibiles siue realiter siue formaliter à quavis essentia diversi infiniti sunt, ut nullus negat; nosque suo loco ostendimus. Quod autem ex quavis comparatione uniuscuiusque essentia cum alio quopiam aliqua passio propria, aut communis essentia comparata pullulet, facile demonstrari potest.

Quod ut præstem, suppono primò duos illos ³¹⁶ modos considerandi, siue cognoscendi unumquodque quoad quid est, & quoad an est, seu prout in statu quidditativo, & prout in statu existentiali, de quibus mentionem fecimus *supra disp. 2. q. 3.* & latius egimus *disp. 10.* Suppono secundo, id dici comparari ad aliud, quod cum respectu ad illud concipitur. Suppono tertio omnem respectum actum esse significabilem per verbum, aut certe per modum actus concipi posse; respicere quippe aliud, aut ad illud referri actus quidam sunt, ut apparet. Suppono quarto ubicumque intervenit actus, ibi materiam idoneam obiectumve idoneum esse, iudicii humani affirmativi, aut negativi, ut constat ex doctrinâ datâ *disp. 2. questione 3.* & saepe alias repetitâ. Materia autem apta iudicii affirmativi, vel negativi, apta quoque materia questionis est; quia quicquid sub questionem cadit, id utique vel affirmabile, vel negabile est, & converso, ut est notissimum. Unde manifestè concluditur, ubi est materia idonea comparationis, ibi materiam esse idoneam questionis.

His positis demonstro iam ex quavis comparatione uniuscuiusque essentia cum alio quopiam passionem aliquam communem, aut propriam talis essentia resultare. Quoniam hæc comparatione mox circa materiam eandem sequitur questio; nimirum an essentia ita se habeat ad illud, ad quod comparatur, ut concipitur, vel secus; cumque in omni questione nequeat non esse verum alterutrum ex extremis contradictionis, non potest non essentia, quæ est subiectum questionis, alterutrum convenire re verâ; sed non convenit ei ut prædicatum essentialis, quia per prædicationem essentialis non subicitur essentia cuiuspiam à se adæquate diverso, uti supponimus subici in casu proposito, sed vel sibi toti, vel parti sui, prout ex dictis in superioribus satis est notum. Ergo convenit ei ut prædicatum accidentale. Pergo. Aut huiusmodi prædicatum seu positiuum, seu negativum conveniens essentia, est ipsi necessario annexum, & sic passio quoque erit eius communis, aut propria; aut est ipsi contingens; accidentis proinde eius vel proprium, vel commune; & sic nequibit non habere ipsa essentia aliud prædicatum annexum sibi, & necessarium (quod subinde passio sit eius propria, aut communis) capacitaris videlicet, & indifferentia ad utrumvis contradictionis extremum sibi contingens. Concluditurque ex quavis omnino comparatione uniuscuiusque essentia cum alio quopiam passionem aliquam communem, aut propriam talis essentia resultare, quod erat demonstrandum. Et consequenter unamquamque essentiam, quæ infinitas comparationes cum infinitis aliis terminis potest subire: infinitas eo ipso passionum tum proprias, tum communes habere ^{ab}

ab intellectu humano se habiles, ut Confectarium nostrum fert. Huiusmodi autem passionem seu communes, seu proprias interdum sunt adæquate intrinsecæ, siue identificatæ realiter cum essentia, tamen à nobis sine respectu ad aliud quiddam concipi nequeant. Interdum sunt adæquate extrinsecæ, siue distinctæ realiter ab essentia. Plerumque tamen sunt semixtrinsecæ; quia partim cum essentia, & partim cum alio termino ad quem ea comparatur, sunt realiter identificatæ. Quo casu, si essentia non est connexa cum tali termino non erunt ipsi annexæ absolute, sed ex hypothesi ipsius termini; proindeque veluti conditionatæ ex parte eiusdem termini erunt.

Confectarium 3.

318 Eadem essentia multas proprietates, multasque passiones communes sibi immediatas potest habere, & sæpe solet, à quibus multæ, & diuersæ series mediarum ordinatum connexarum incipiunt.

Quod possit, ex terminis patet: quia ex terminis est euidenter possibile eandem essentiam cum multis proprietatibus, atque passionibus communibus immediatè connexam esse. Quod sæpe solet, ipsa experientia monstrat; nam sæpe ex terminis ipsis citra discursum de eadem essentia tum multas proprietates, tum multas passiones communes iudicamus, & prædicamus. Quod utique non possemus præstare nisi tales proprietates, atque passiones tali essentia immediatæ essent ob immediatam connexionem essentia cum ipsis. Et quidem, cum sit incredibile ex infinitis proprietatibus, aut passionibus communibus, quas vnâqueque essentia habet, iuxta *confectarium secundum*, præter vnâ, vel alteram cæteras omnes esse mediatas, credendum procul dubio est, multas earum esse immediatas.

Confectarium 4.

319 Series proprietatum, passionumque communium suo ordine connexarum ex quâvis essentia prodeuntes in infinitum extenduntur, & prorsus interminabiles sunt. Tum series huiusmodi ex quolibet suorum graduum in plures ramos patet infinite extensos distrahi potest, & sæpe solet.

Prior pars huius confessarij valde notandi sic demonstratur à priori. Quævis omnino passio propria, aut communis earum, quæ componunt, siue constituunt quamlibet dictarum serierum, imprimis quædam etiam essentia est; quia nihil est excogitabile; quod suam essentiam per identitatem non habeat, quodque subinde essentia non sit, ut constat. Deinde cum infinitis aliis terminis est comparabilis, ut est notissimum. Præterea infinitas eo ipso alias passiones tum proprias, tum communes habet, iuxta doctrinam *confectarij secundi*. Ergo vltia quamvis passionem communem, aut propriam cuiuslibet dictarum serierum non solum datur alia passio propria, aut communis, quod ad intentum factis esset, sed alia dantur infinita. Ergo quælibet dictarum serierum in infinitum extenditur absque vilo procul termino. Vel aliter ab absurdo. Si in aliquâ dictarum serierum aliqua daretur passio propria, aut communis, quæ esset

Pharus Scientiarum, Tom. II.

set vltima, in quâ talis series terminaretur, seu finiretur, ea utique nullam aliam sui passionem propriam, aut communem haberet. Ergo cum ea nequeat non esse quædam essentia, iuxta dicta nuperimè, aliqua iam daretur essentia nullam habens passionem. Cum tamen quævis omnino essentia infinitas habeat, ut *Confectar. 2.* monstratum est. Quod est contradictio. Porro id, quod est passio alicuius passionis, essentia quoque, cuius est hæc passio, passionem esse magis mediatam, aut saltem ipsam constituere, prout in demonstratione factâ supponimus, indubitabile est. Nam omne id, cum quo essentia ut cum distincto à se connectitur, ad aliquam eius passionem non potest non spectare. Constat autem quamvis essentiam cum passionem suâ passionis ut cum distincto à se connecti. Hinc, quia risibile est passio admiratiui, & admiratiuum est passio hominis, risibile quoque passio hominis est, &c.

Iam posterior pars huius confessarij facit. 320 Ie ex dictis demonstratur. Etenim passiones propriæ, aut communes componentes prædictas series, atque adeo constituentes gradus earum, cum sint etiam essentia quædam, multas alias passiones sibi immediatas habere possunt, & sæpe solent, à quibus series mediarum incipiunt iuxta doctrinam *Confectarij tertij*. Igitur fieri potest, & sæpe fit, ut ex quouis gradu, seu (quod idem est) ex quâvis passione earum, quæ ipsas series componunt, quæ eo usque vnica series fuerat, plures deinceps series sit, quod ipsum est, talem seriem, ex tali gradu in plures ramos distrahi, prout dicimus in *Confectario*, hoc est, in plures series incipientes ab vna, & cum ipsâ continuatæ, quæ eo ipso tanquam quidam rami se habent. Huiusmodi autem ramos esse infinite extensos ipsummet est, quod argumenta facta pro prior parte *Confectarij* demonstrant.

Ex quibus iam se incipit prodere, quàm sit 321 immensa amplitudo humanarum scientiarum, quamque sine termino ab intellectu humano in quâvis materia noua in dies veritates sint inuenibiles, & deprehensibiles errores antea putati veritates, &c. prout *infra disputatione vigesima secunda* ex fundamentis modò iactis ex professo demonstrandum, & ponderandum est.

Aduerte tamen hic. Quoties aliqua series passionum nata ex essentia vltique ad certum gradum sui vna, & simplex procedit; ex illo tamen deinceps procedit dissecata in plures, absolute dici debere plures ibi series passionum esse, sed, quæ segmentum quoddam habent commune, nempe eam partem, quæ inter essentiam, & gradum, à quo incipit talis pluralitas posita est. Vniuersaliter enim tot series simplices passionum sunt comparandæ in quâvis essentia, quor sunt virgularum ab illa tanquam à radice nascentium. Ex quo patet (suppositâ doctrinâ traditâ) eas aut plane innumeras, aut infinitas esse, tamen si principio propè essentiam, à quâ egrediuntur, pauca quædam incipiant.

Confectarium 5.

Series passionum ab essentia egredientium, aut 323 ex solis passionibus propriæ, seu proprietatibus, aut ex solis passionibus communibus, aut ex utriusque possunt coalescere.

Sermo est de seriebus simplicibus, quæ ab essentia nascentibus in infinitum porriguntur, iuxta doctrinam statutam *consect.* 4. Tum sermo esse potest, aut de passionibus propriis, & communibus, quæ tales sunt comparatione essentia radicalis, à quâ incipit tota series; aut de passionibus propriis, & communibus, quæ tales sunt comparatione essentia prævia immediate ad vnamquamque, quæ essentia radicalis antecedentis passio quoque est propria, aut communis.

324 Et primum, quod sit possibilis series simplex ex solis proprietatibus essentia radicalis constans est certum; quia certum est nihil ob stare, quominus proprietatis immediatæ talis essentia alia immediata proprietas detur, & huius alia, & ita deinceps sine fine (quæ omnes subinde præter primam immediatæ proprietates erunt talis essentia) quandoquidem omnes huiusmodi proprietates essentia quædam sunt, & euidenter est possibile omnes, & singulas essentias in aliquâ serie constitutas aliquam proprietatem habere. An verò necessarium est, ut omnis essentia in vniuersum aliquam proprietatem habeat, sub dubium potest cadere, quia non ita apparet ex terminis.

325 Dico esse necessarium, quia nulla est essentia excogitabilis, quæ cum aliis terminis comparata aliquam denominationem subire nequeat aut intrinsecam fundatam in suâ speciali naturâ, tum in aliis terminis, ad quos comparatur, quæ denominatio eo ipso talis essentia proprietas erit; quia ei soli essentia, & non aliis conueniet necessarium, ut constat. Sed nulla est essentia excogitabilis, quæ cū innumeris, imò cū infinitis terminis nō sit comparabilis; ut satis ex se, & ex dictis constat. Ergo.

Hinc sequitur primò necessarium esse, ut quævis essentia aliquam proprietatem sibi immediatam habeat. Demonstratio sic: necessarium est, ut quævis essentia aliquam proprietatem habeat, iuxta argumentum n. præced. Vel ergo ea est immediata; & iam habeo intentum; vel est mediata, & hæc nequit non supponere immediatam. Ergo. Quod autem proprietas mediata essentia supponat necessarium immediatam, est clarum; quia necessarium supponit medium immediatum essentia, per quod, seu ratione cuius, conueniat ipsi essentia: sed hoc nequit esse accidens separabile, nec passio communis (cū sit separabile, quod ratione alicuius separabilis essentia conuenit, & aliis commune, quod conuenit ratione alicuius aliis communis: proprietas autem nec separabilis, nec aliis communis esse possit, ut constat): ergo necessarium est proprietas: omnis ergo proprietas mediata essentia necessarium supponit immediatam quod erat probandum. Ex quo etiam patet, quando medium, per quod proprietas mediata essentia conuenit, pars quædam seriei est constans ex pluribus prædicatis suo ordine interpositis, non posse non hæc omnia, & singula proprietates essentia esse, quia proprietas mediata per nullum prædicatum intermedium potest essentia conuenire, quod non sit etiam proprietas eius, ut probat ratio facta, & consequenter quæcumque essentiam versus supponit in serie suâ necessarium sunt proprietates talis essentia.

327 Vnde sequitur secundo. Non solum possibile, sed necessarium etiam esse, ut ex quauis essentia aliqua series porrigatur in infinitum constans ex solis proprietatibus talis essentia, quia necesse est ex n. præced. ut omnis essentia aliquam proprietatem sibi immediatam habeat: ergo si essentia A ha-

bet proprietatem B, proprietas B, cū sit etiam quædam essentia, habebit proprietatem C, & C ob eandem rationem proprietatem D, & ita deinceps sine fine. Quæ omnes proprietates erunt essentia, A. Quia, quod est proprietas proprietatis alicuius essentia, nequit non esse etiam proprietas magis mediata talis essentia, ut ex dictis *consect.* 4. colligitur, ad remque demonstrari potest. Quia, quod est proprietas proprietatis essentia, eo ipso, quod necessarium, & insolidum conuenit proprietati immediatæ, nequit non etiam necessarium, & insolidum mediata conuenire essentia, ut satis ex se est notum. Quod est illud talis essentia proprietatem mediatam esse. Ex quo patet, id, quod est proprietas proprietatis essentia, passionem communem ipsius essentia esse non posse. Sicut nec vice versâ passio communis esse potest proprietatis propinquois essentia id; quod in eadem serie ipsius essentia proprietates remotior est.

Iam verò, quod sit possibilis series simplex ex solis passionibus communibus essentia radicalis constans inde probatur; quia nihil est, quod veter passionis communis immediatæ alicuius radicalis essentia dari aliam passionem communem, & huius aliam & ita deinceps sine fine. Quo casu series simplex in infinitum extensa ex solis passionibus communibus talis essentia radicalis coalescat.

Sed dubitari potest, an sit necesse in vniuersum, quod ex quauis essentia aliqua series porrigatur ex solis passionibus communibus talis essentia constans, sicut necesse est, ut porrigatur constans ex solis proprietatibus, prout demonstraui. Dico esse necesse, dummodo essentia non sit ex conceptibus vniuersalissimis, quibus superior aliquis conceptus non datur. Quod ut ostendam suppono tantum omnino certum id, quod est passio continens cuiusvis essentia, eo ipso esse proprietatem prædicati superioris, a quo adeo communis aliis in eâ essentia necessarium repertione cuius illi conuenit talis passio. In eo quippe differunt vniuersæ passio propria, & communis, quod propriam ratione sui communem verò ratione prædicati necessarii se superioris vendicat sibi essentia, proindeque propria ab essentia ipsâ, communis verò præcisè ab eo prædicato necessario ipsi, & aliis communibus trahunt originem. Sic quia *risibile* proprietas est hominis, *locomotivum* verò passio communis eius, verum est hominem ideo esse risibilem, quia est animal rationale, quod est ipsa essentia eius. Ideo verò esse *locomotivum* præcisè, quia est animal, quod est prædicatum necessarium, superiusque eiusdem essentia, ipsi, & aliis commune. Quod est, *risibile* conuenire hominiratione essentia eius, *locomotivum* verò ratione prædicati necessarii ipsi, & aliis communis. Et quoniam nequit *locomotivum* conuenire homini, quia est animal, siue ratione animalis ei superioris, quin conueniat ipsi animali, quia animal est, siue ratione essentia eius. Constat hoc ipso, quod *locomotivum* est passio communis hominis ipsi conueniens, quia est animal, non posse non *locomotivum* ipsum ipsius animalis passionem propriam, seu proprietatem esse. Ex quo patet in vniuersum prorsus esse impossibile, ut id, quod est passio communis alicuius essentia, passio propria non sit alterius, quæ sit prædicatum necessarium, superiusque respectu illius, & convertendo patet impossibile esse, ut id, quod est passio propria alicuius essentia, non sit passio communis alterius eâ inferioris, ut prædicato necessario. Quod addo, ut prædicatum superius contingens excludam. Nam, quod

huic conuenit vt proprietates similem contingentiam fert secum respectu subiecti inferioris, proindeque titulo proprietatis talis prædicati superioris, talis subiecti inferioris passio communis esse non potest.

330 Hoc posito, sic assumptum ostendo. Ex eo, quod est necessarium quamuis essentiam aliquam proprietatem habere necessarium efficitur ex quauis essentia aliquam seriem solarum proprietatum protendi in infinitum, sed etiam est necessarium quamuis essentiam aliquam habere passionem communem, nisi ea conceptus sit vniuersalissimus: ergo pariter est necessarium ex quauis essentia, nisi ea conceptus sit vniuersalissimus, aliquam seriem in infinitum protendi solarum passionum communium. Maior est euident ex discursu facta à n. Consequentia est bona, quia discursus ipse eundem profus locum habet in passionibus communibus; atque in propriis, vt applicanti notum fiet. Probo ergo minorem: quia sicut ex comparatione cum aliis terminis, cum quibus circa dubium est comparabilis, nequit non subire quauis essentia aliquam denominationem, aut intrinsecam, aut semiextrinsecam fundatam aut in se tota solum, aut in se tota simul, & in iis terminis; quæ eo ipso erit eius proprietas, vt dicto n. statutum est. Ita etiam ex comparatione cum aliis terminis nequit non subire quauis essentia aliquam denominationem aut intrinsecam, aut semiextrinsecam fundatam aut in solo prædicato & sibi necessario, & se superiore, atque adeo sibi, & essentia aliis communibus aut in tali prædicato simul & in terminis ipsis; quæ denominatio subinde passio communis talis essentia erit, vt ex suppositione facta constat.

331 Vel aliter assumptum propositum ex dictis sic monstrari potest. Necessè est, quod ex omni essentia aliqua series porrigatur solarum proprietatum, prout n. statutum est. Ergo, & quod porrigatur ex essentia, quod est prædicatum tum necessarium, tum superius alterius essentia; sed series proprietatum conueniens essentia ita altera superioris nequit non esse series passionum communium respectu ipsius essentia inferioris: siquidem omnis proprietas essentia, quæ prædicatum est necessarium, superiusque alterius essentia, nequit non esse passio communis eiusdem essentia inferioris, iuxta doctrinam suppositionis factæ n. Igitur necesse est, quod ex omni essentia inferiori alteri vt prædicato necessario aliqua series porrigatur solarum passionum communium, & consequenter, quod ex omni essentia absolute, præterquam ex consistente in conceptu vniuersalissimo; quod erat probandum. Solus quippe talis conceptus non est inferior altera essentia vt prædicato necessario.

332 Excipio autem essentiam conceptus vniuersalissimi huiusmodi, quia tali essentia nulla conuenire potest passio communis (necum series infinita communium passionum) eo ipso, quod nullum habet prædicatum se superius, & necessarium, vt ponimus, ratione cuius ei conueniat. Quod est valde notandum. Conceptus quippe vniuersalissimi omnium nihil habent necessarium sibi, & aliis commune; proindeque nec potest aliquid necessarium eis conuenire, quod ipsis, & aliis commune sit, prout requiritur ad passionem communem, iuxta dicenda paulò explicatius infra numero...

Denique, quod sit possibilis series simplex sese in infinitum extendens tum ex passionibus propriis, tum ex communibus essentia radicalis conflata, est clarum: quia nihil vetat seriem conflata ex solis passionibus propriis vsque ad certum sui gradum pergere, indeque continuari cum serie infinita conflata ex solis communibus, cum eaque componere vnicam seriem simplicem, cuius pars ex solis propriis, pars verò ex solis communibus passionibus essentia radicalis conflet. Tamen pars constans ex propriis ex eodem gradu per aliam lineam continetur itidem cum alia parte etiam porrecta in infinitum, quæ ex solis pariter propriis passionibus coalescens sit, cum eaque similiter componat alteram seriem simplicem.

Imò necessarium esse, quod ex quauis (exceptis vniuersalissimis) aliqua huiusmodi series mixta in infinitum porrigatur, ex dictis in superioribus patet. Sume enim essentiam A, sitque series ex solis proprietatibus constans, & essentia A necessaria, iuxta doctrinam traditam B, C, D, E, F, G, &c. sine fine. Deinde sume essentiam G, sitque series constans ex solis passionibus communibus, & essentia G necessaria etiam, iuxta doctrinam H, I, L, M, N, O, &c. sine fine. Certe integra series continuata, compositaque ex illa parte prioris A, B, C, D, E, F, G, & ex integrâ posteriore G, H, I, L, M, N, O, &c. nequibit non necessaria esse eidem essentia A, nam priorem partem eius necessariam supponimus, secunda verò hoc ipso, quod necessaria ponitur essentia G, quæ necessaria est essentia A, non potest non eidem quoque essentia A esse necessaria, vt est notum. Necesse ergo est, quod essentia A, & consequenter ex quauis alia (exceptis vniuersalissimis) aliqua series porrigatur in infinitum coalescens partim ex propriis, partim ex communibus passionibus talis essentia. Quod erat probandum.

Addo tamen non esse possibilem seriem ex passionibus propriis, & communibus essentia radicalis compositam alio compositionis genere ab assignato, quale esset, si prior serie pars ex communibus, posterior ex propriis passionibus essentia radicalis constaret, aut intermiscendo post aliquas communes aliqua propria passiones eiusdem essentia sequerentur, rursusque aliqua alia communes; Dein alia propria, & sic deinceps; series, inquam, hisce modis composita non est possibilis. Quia, quod essentia conuenit mediâ aliquâ passione communi, nequit esse proprietas talis essentia; tamen comparatione passionis communis intermedia proprietas sit, sed passio communis pariter talis essentia erit. Vnde quoties à passione communi essentia radicalis incipit series, nequeunt non cuncta prædicata sequentia esse quoque passiones communes comparatione talis essentia, etiam si cuncta sint proprietates comparatione ipsius passionis communis, à quâ incipit series. Tum in serie à proprietatibus incipiente nequeunt non eadem de causâ à primâ passione communi occurrente cuncta, quæ deinceps sequuntur, passiones communes euadere comparatione radicalis essentia. Quæ omnia ex superius dictis satis, superque constant. Poterit tamen series quouis ex modis prædictis esse composita ex passionibus communibus, & propriis, quæ tales sint non comparatione solius essentia radicalis; sed vnaquæque comparatione essentia se propinquius antecedente:

G 4 Apponamus

Apponamus exemplum. Sit series A, B, C, D, E, F, G, H, I, L, M, N, O, &c. Dico eo ipso, quod B, C, sint passionibus communes comparatione essentiae A, non posse non cetera, quae sequuntur, esse quoque passionibus communes comparatione eiusdem essentiae A. Nihilominus tamen D, E, proprietates sunt comparatione essentiae C, & F, G, passionibus communes comparatione essentiae E; rursumque H, I, proprietates comparatione essentiae G, & iterum L, M, passionibus communes comparatione essentiae I, ac tandem N, O, proprietates respectu essentiae M, &c.

336 Esse autem non solum possibile, sed necessarium etiam, quod ex quavis essentia (vniuersalissimis exceptis) aliqua series porrigatur composita quouis compositionis genere, tum ex propriis, tum ex communibus passionibus, quae tales sunt non comparatione radicalis essentiae, sed vnaquaeque comparatione essentiae sibi propinquioris antecederet, non minus est certum, quam praeterita. Facileque ab vnoquoque ex illis poterit demonstrari, ne nos diutius hic moremur.

Confectarium 6.

337 Non solum possibile, sed necessarium est, ut ex quavis omnino essentia aliqua saltem series solarum proprietatum in infinitum porrigatur.

Tum etiam necessarium est, ut ex quavis essentia (si excipias vniuersalissimas) aliqua saltem series pariter porrigatur solarum passionum communium. Necnon aliqua coalescens ex proprietatibus, & ex passionibus communibus ipsius essentiae. Ac demum aliqua, vel plures compositae quouis compositionis genere ex passionibus communibus, & proprietatibus, quarum vnaquaeque talis sit non comparatione praedictae essentiae radicalis, sed comparatione alius essentiae se propinquius antecederentis.

Hoc confectarium per doctrinam adductam circa praecedens est demonstratum, neque alia eget demonstratione.

Confectarium 7.

338 Passio non propterea est communis, aut definit esse propria, quod pluribus essentis conueniat spectantibus ad eandem seriem, sed tantum, quod conueniat pluribus spectantibus ad diuersas.

Aditio praecedentibus hoc confectarium aliis notissimum, ne quis offendar in definitionibus datis passionis communis, & propriae. Itaque in serie ista essentiarum, A, B, C, D, E, ubi essentia radicalis est A, & ceterae proprietates eius ab ipsa suo ordine prodeuntes, ipsive suo ordine conuenientes, proprietates, E non propterea definit esse proprietates, aut est passio communis, quia pluribus essentis, iisque inter se diuersis conuenit, nimirum immediate essentiae D, mediate essentiae C, & magis remote aliis duabus B, A, sunt namque essentiae, etsi inter se diuersae subordinatae tamen, eandemque seriem connexionis continuo quodam tramite componentes; & ut passio aliqua sit communis, non vero propria, requiritur, quod essentiae diuersae, quibus ea conuenit, non sint inter se subordinatae in eadem serie connexionis, sed disparatae se habentes, quoad attinet ad eiusmodi seriem. Hoc enim sensu est recipienda, uti recipitur ab omnibus, definitio superius tradita passionis communis.

Confectarium 8.

Passio propria cum quidditate eius essentiae, cuius est propria, connexa est, Passio vero communis cum quidditate eius essentiae, cuius est communis, non item.

Ratio prioris partis est; quia cum passio propria suo prope conceptu sit quid conueniens essentiae, cuius propria est, & non aliis; suo prope conceptu postulat ut talis essentia sit id ipsum, quod est, & non aliud, ut constet. Hoc autem ipsum est talem passionem cum quidditate talis essentiae connexam esse. Ratio autem posterioris partis est, quia cum passio communis ita sit quid conueniens essentiae, cuius est passio communis, ut etiam sit quid conueniens aliis, non postulat ex suo conceptu ut talis essentia sit id ipsum, quod est, & non aliud. Possit enim ei conuenire, etsi esset aliud ab eo, quod est. Quod ipsum est talem passionem cum quidditate talis essentiae connexam non esse.

Hinc colligitur primo essentiam, & proprietatem intra statum quidditatum, in quo metaphysicae omnes scientiae procedunt, mutuum connexionem habere: essentiam vero, & passionem communem non item.

Secundo colligitur intra statum quidditatum per proprietatem prius cognitam venire posse in cognitionem essentiae, & ac per essentiam prius cognitam in cognitionem proprietatis; non vero pariter per passionem communem prius cognitam.

Tertio colligitur intra statum quidditatum possibile esse seriem circularem proprietatum, non item passionum communium aut mixtam. Est autem series circularis, quae incipiens ab essentia in ipsam essentiam reuertitur, & tunc contingit, quando aliqua proprietas, cum qua essentia remote connectitur, proxime cum essentia ipsa connexa est, ut citra dubium est possibile; tamen eadem cum alia etiam proprietate proxime connectatur, & haec cum alia, & sic deinceps. Sicque series conclusio circulo cum essentia inde progrediatur ulterius, & in directum, aut etiam veluti obiter faciendo alios huiusmodi circulos sine fine extendatur. Iuxta doctrinam statutam Conf. 4. Est autem hoc genus circulatorum possibile in serie proprietatum, sed in serie passionum communium, aut in serie mixta ex utrisque, ob mutuum connexionem, quam proprietas potest habere cum essentia, cum qua nequit mutuo connecti, ut diximus, passio communis; alias non esset passio communis, sed propria talis essentiae, contra suppositionem.

Sed dubitari hic potest, an etiam intra statum existentialem, in quo procedant scientiae physicae, ita sint essentiae, & proprietates mutuo connexae, ut neutra sine altera possit existere. Dico plerumque esse, non tamen semper: quia fieri potest, ut sola quidditas proprietatis, non vero existentia terminet connexionem essentiae, & e converso; eo quod aut proprietates secundum solum esse quidditatum, non vero secundum existentialem est essentia proprietatis, aut essentia secundum solum esse quidditatum, non vero existentialem subiectum proprietatis est, exempli gratia, posito, quod vera sit sententia communis de connexionem causae creatae cum possibilitate effectus, effectus secundum esse possibile tantum, non vero secundum existentialem est proprietates essentiae causa terminans connexionem eius, aut ad illam pertinet, E contra vero essentia

Disp. XVII. De vnit. & plur. rer. Quæst. XVIII. 81

essentia creaturæ secundum esse quidditativum tantum habet pro proprietate cognitionem creatoris de tali esse, cuiusque connexionem terminat.

Confectarium 9.

344 Quo ordine comparantur passiones seu proprietates seu communes tum cum essentia radicali, tum inter se secundum seriem connexionis; eodem etiam comparantur secundum seriem prioritatis.

Est dicere. Essentia radicalis prior est immediate eâ passione, cum quâ connectitur immediate, mediate autem prior est aliis, cum quibus mediate connectitur, eoque aut magis, aut minus mediatâ, siue remota prioritate, quò magis, aut minus mediatâ, siue remota connectio est. Similiterque quælibet passio ex constituentibus seriem prior est immediate eâ, cum quâ immediate connexa est, posteriorque immediate, vel essentia, vel aliâ passione, quæ immediate cum ipsâ connectitur; mediate autem prior est iis, cum quibus mediate connectitur, posteriorque iis, quæ cum ipsâ connectitur mediate, idque cò magis, aut minus mediatâ prioritate, & posterioritate, quò magis, aut minus mediatâ est connexio, quam habet, aut terminat.

345 Sed dubitandum venit, cuius sit generis hæc prioritas, & posterioritas. An respectiva ad tertium, quæ tantum est maior, aut minor propinquitas ad tale tertium: an absoluta ab illo, quæ simpliciter est prioritas, & posterioritas? Quod si absoluta. An temporis, an originis, an inconnexionis non mutæ, an dignitatis? Hisce enim modis vnum prius, aut posterius altero dici potest, idque aut ex suâ natura, aut ex accidente, ut fuscè tradidimus *supra disp. 15.*

346 Dico. Prioritas, quæ essentia suis passionibus, & ex his aliæ aliis prioribus dicuntur (tantumdem de posterioritate correlativa cense) non est dumtaxat maior propinquitas ad tertium. Constat enim essentiam passionibus, & ex his aliis aliis non respectivè ad tertium aliquod, sed absolute ab illo dici priores. Nec est prioritas temporis, cum sit notissimum essentiam, & eius passiones plerumque saltem non pertinere ad diversa tempora. Nec est inconnexionis non mutæ, quia hoc genere prioritatis tantum dicitur prius alio, quod cum illo non est connexum, illius tamen terminat connexionem, quo pacto conceptus magis universales minus universalius prioribus sunt. Constat autem essentiam connexionem esse cum passionibus, & ex his aliis cum aliis, respectu quarum nihilominus priores dicuntur; non ergo genere isto prioritatis, sed alio tales appellantur. Relinquitur ergo, ut essentia suis passionibus, & ex his aliæ aliis suo ordine prioritate quâdam originis, aut etiam dignitatis priores dicantur. Originis, inquam, non physicæ, sed metaphysicæ, quia raro physicæ passiones, & nunquam metaphysicæ nascuntur physicæ ab essentia.

347 Itaque essentia prioritate quâdam originis metaphysicæ, quæ origo tantum rationis est fundata in ipsis rebus, dicitur prior suis passionibus, & ex passionibus aliæ aliis; quia nos veluti causam, fontem, seu radicem passionum concipimus essentiam, ex passionibus autem alias concipimus veluti principium aliarum, quod prodiens à radicali essentia proximè, vel remotè, aut per se, aut simul cum essentia ipsâ dat illis esse. Quo enim fundamento ex parte rerum se habente ducitur intellectus noster supposito modo intelligendi, quem habet pro hoc statu ad distinguendas suâ ratione pas-

siones inter se, & ab essentia, ad easque concipiendas cum talibus naturis præ aliis, siue cum talibus conceptibus obiectivis potius, quam cum aliis; eodem ducitur pariter ad concipiendas omnes illas tanquam ex essentia oriundas, aliasque ex aliis, atque adeo cum quodam ordine prioritas, atque posterioritatis originis. Iam verò ut ordine etiam dignitatis principium solet præcedere principatum: ita etiam essentia suas passiones, & ex passionibus aliæ solent alias præcedere.

Ex his colligitur primò. Quoties plures passiones aut proprietates, aut communes pertinent ad eundem gradum serie directæ connexionis, & ad eundem etiam serie originis censendas esse pertinere; atque ita non prioritatem, nec posterioritatem, sed simultaneitatem habere inter se invicem comparatas. Pertinent autem ad eundem gradum serie directæ connexionis, quæ ab essentia radicali æquè distant, eo quod vel ipsa essentia, vel passio immediate illas præcedens cum illis omnibus immediate connexa est: tunc enim illæ omnes simul censentur nasci ab essentia, aut ab eâ passione, quin inter se comparatæ invicem aliquem ordinem causalitatis habeant; uti quando plures effectus simul ab eadem causâ nascuntur, nullo eorum concurrente vilo modo ad existentiam reliquorum.

Secundò colligitur. Si solus ordo connexionis attendatur, nec essentia proprietatibus, nec proprietates essentia priores essent, sed omnes essent simultaneæ, passiones verò communes priores essentia dicendæ essent. Quia iuxta hunc ordinem præcisè id solum dicitur prius alio, quod cum illo non est connexum; eius tamen terminat connexionem, quâ ratione passiones communes cum essentia, cuius sunt tales, comparantur. Simul autem esse dicuntur, quæ mutuo connectuntur, quo pacto essentia, & proprietates se habent, prout *Confect. 8.* explicatum est. Cæterum, quia prioritas originis semper prævalet contra prioritatem inconnexionis non mutæ, eamque veluti absorbet, & extinguit, quando concurrunt, iuxta dicta *loco citato*, ut cernere est in coniuncto actionis, & termini, ubi simpliciter actio dicitur prior termino prioritate originis, tamen terminus inconnexionem habeat non mutuum comparatione actionis; idcirco in nostro proposito essentia simpliciter venit dicenda prior suis passionibus communibus prioritate originis metaphysicæ, tamen tales passiones inconnexionem habeant non mutuum comparatione essentia.

Hinc tertio colligitur: quando plures passiones ad eundem gradum serie directæ connexionis pertinent, nullæque proinde earum est prior alterâ, sed omnes simul secundum originem, iuxta dicta *num...* bene posse aliquam earum, aut plures esse aliis priores secundum inconnexionem non mutuum; possunt namque ipsæ comparatæ inter se seriem quandam connexionis obliquam constitutere intra eum gradum directæ, iuxta quam etiam eæ erunt simul, quæ mutuo inter se connexæ fuerint; eæ autem ordinem prioris, & posterioris habebunt, quæ habuerint connexionem non mutuum.

Quartò colligitur. Si de prioritate solum physica, & realique sermo sit, inter essentiam tantum physicam, & eius physicas passiones, interque ipsas passiones posse esse ordinem prioris, & posterioris, idque vel originis, aut etiam dignitatis, quando intercedit causalitas, vel inconnexionis non mutue

mutuæ, si quando causalitas desit, iuxta doctrinam datam. Inter essentiam tamen metaphysicam, & passiones eius cum ipsâ identificatas realiter adæquatæ, aut inadæquatæ, ordo prioritatis physice dari non potest: quia talis ordo physicam postulat distinctionem eius, quod prius dicitur, ab eo, quod dicitur posterius, ut est notissimum; atque ita tales passiones & essentia loquendo physice simultaneæ dicuntur simultaneitate identitatis, saltem inadæquatæ.

352 Quinto colligitur, quo iure dicatur demonstratio à priori; cum per unam passionem aut physice, aut metaphysice priorem, alteram posteriorem illâ demonstramus de essentia. A posteriori autem, cum vice versâ. Tertiumque proinde membrum demonstrationis à simultaneo adstrui debere pro casu quod demonstretur una passio per alteram ad eundem seriei gradum spectantem, eique proinde simultaneam, iuxta dicta *n... & n...* Quin imò si de priori, aut posteriori physice sermo sit, nulla demonstratio passionis metaphysice erit à priori, aut à posteriori; sed omnes à simultaneo, ut constat ex dictis.

353 Sexto colligitur demonstratione à posteriori omnem passionem propriam per aliam se posteriorem demonstrabilem esse, omnem verò passionem communem non item. Etenim passio per quam alia est demonstrabilis, cum illâ est connexa, ut est notum. Omnis autem passio propria cum omni priori se est connexa, non verò itidem omnis passio communis, ut satis superque constat ex dictis. Potest tamen fieri, & sæpe fit, ut passio communis posterior cum priore mutuò connexa sit, proindeque respectu eius sit passio propria, tamen si ambæ comparatione essentia anterioris sint passiones communes, ut ex dictis *Consect. 9.* liquidum est; quo casu prior earum passionum per posteriorem à posteriori demonstrabilis erit.

Consectarium 10.

354 Essentia metaphysica rei per duas passiones sibi immediatas alteram communem, alteram propriam frequenter ita solet exponi, ut non tam subiectum earum, quod proprie est metaphysica essentia, quam concretum ex subiecto, & illis resultans absolute talis rei essentia dicatur.

355 Sit nobis pro exemplo *leo*, cuius essentia in eo dicitur absolute consistere, quod sit animal rugibile, id est, potens sentire, & potens rugire, cum tamen essentia metaphysica eius subiectum sit potentia ad sentiendum, & potentia ad rugiendum, quarum prima passio communis, secunda autem passio propria talis subiecti est, idemque evenit in similibus. Iure tamen concretum ex subiecto, & passionibus propria, & communi, essentia etiam rei absolute appellatur; tum quia eiusmodi metaphysica subiecta, nisi per actus aut primos, aut secundos, cuiusmodi sunt ex suo conceptu eorum passiones, neque dignosci à nobis, neque notificari possunt (ut potest, quæ non per se, sed tantum per huiusmodi actus sub iudicium nostrum, subque enunciationem externam cadere possunt, ut ex dictis *disp. 2. q. 4.* & sæpe aliàs de modo nostro iudicandi compertum est) atque adeò loco quidditatis eorum concretum ex ipsis, ex dictisque passionibus est. Tum etiam quia inde factum est ut tale concretum essentia rei logica composita ex genere, & differentia veniat dicenda. Quocirca dicere solent logici primam rei proprietatem loco differentia-

eius poni, eodemque iure possent dicere poni loco generis primam rei passionem communem. Itaque in leone potens sentire, quod est animal, genus eius est; potens autem rugire, quod est rugibile, differentia; ex quibus duobus componitur essentia eius logica: Cum tamen essentia eius metaphysica subiectum sit talium concretorum, cuius subiecti passio communis est forma Prioris, & passio propria forma posterioris.

Hæc quadrant essentia metaphysicis atque logicis concretorum metaphysicorum. Essentia enim metaphysica actuum, siue formarum in abstracto aliter solent explicari, ut videbimus *disp. 25.* sicut & aliter ex genere, & differentia essentia logicæ componi iuxta *ibi* dicenda: Vide etiam, si placeat, quæ de rerum essentia diximus *disp. 9.* Et hæc factis modò de passione propria, & communi.

Hoc vnum restat advertendum. Quæcumque de passione propria, & communi essentia vniuersalis in hac quæstione dicta sunt, etiam habere locum, suâ seruata proportionem, in passione propria, & communi essentia singularis cuiusvis individui. Singula quippe individua suam propriam, & singularem essentiam habent; atque adeò etiam suas singulares proprietates, & passiones communes. De quibus proinde eodem pacto, suâ seruata proportionem, atque de proprietatibus, & passionibus communibus essentiarum vniuersalium, philosophandum est.

QVÆSTIO XIX.

Quid sit accidens proprium. Quid commune? Quomplex &, quale?

Sermo est de accidente sumpto specialiter ut *34* contraponitur passioni. Quod ex Porphyrio, *cap. de accident.* sic vulgò solet definiri, *Accidens est, quod adest, & abest præter subiecti corruptionem.* Verum definitio hæc aut insufficiens est, aut obscura. Nam accidens hominis est corrumpi, seu desinere esse; & tamen non adest præter subiecti corruptionem, aliæque plura sunt huiusmodi. Quare in hac, & in aliis Porphyrianis definitionibus, aut etiam assertionibus explicandis, & defendendis non est cur immoremur, ut sæpe noram.

Ergò circa primam quæstionis partem duobus *35* modis accipi possunt accidens proprium, & commune. Primo secundum se. Secundo ut vniuersalia, siue prædicabilia. Priori modo sumptum accidens proprium sic potest definiri. *Est prædicatum quoddam essentie adiectum, siue aliquid essentie adiciens, ipsique conueniens vnicè, & contingenter.* Accidens verò commune sic. *Est prædicatum quoddam essentie adiectum, siue aliquid essentie adiciens, ipsique conueniens contingenter, non tamen vnicè.* Eisdem definitionibus dedimus *suprà. q. 18.* & explicuimus pro passione propria, & communi, mutarà dumtaxat particulà *contingenter* in particulà *necessario*. Quare in eis iterum explicandis non est cur immoremur; recognoscantur dicta *ibi*, & huc applicentur, hæc solum differentia adnotatà, quod passio, de qua *ibi*, necessariò; accidens verò, de quo hic, contingenter essentia conuenit, eo quod essentia suo præceptu, & naturâ cum passione connexa est, cum accidente verò non item.

Sumptum verò posteriori modo accidens proprium ita est definiendum. *Est prædicabile de multis ut quid*